



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,  
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,  
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ  
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXXVI. De sententia diffinitiva, vel interloquutoria; Et de utriusque  
diversa forma, & effectibus, ac de sententiæ justificatione ex actis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

mari, vel parvipendi mereatur, cum quilibet scientia habeat sua principia, à quibus per professores deviari non potest; Si etenim detur philosophus Auctor, qui affirat, quod ignis sit frigidus, & humidus, & quod aqua sit secca, & calida, tunc ille, qui non habebit principia scientia, sed clavis oculis procedere cogitur cum sola fide, ejus quod invenit scriptum, id credet, atque cum hoc præsupposito pertransibit; Verum talem auctoritatem irridet ille, qui sit scientificus philosophus, dum agnosceret, quod id repugnat principiis, cum similibus; Ideoque mea est consuetudo dicendi, quod nunquam dici meretur Doctor, vel Juris Professor ille, qui legendo auctorem aliquid expresse firmantem, non cognoscat ex sola lectura, an bene, vel male loquatur, idque sine scientia principiorum sequi non potest.

Potissimum vero reflectendum est ad distinctionem plurium, ac diversorum casuum, qui sub unico generico articulo, vel sub una questione cadere possunt; quoniam frequens praxis docet, quod ex centum auctoritatibus, quæ super aliqua propositione cumulari solent, bene distinguendo casus, eorumque circumstantias, vix reperietur una, quæ bene concludat; Quinimò plures retorqueri possunt.

Demùm circa leges novas & particulares, reflectendum est, an lex adaptetur casui de quo agitur, quia forte trahat causam a præterito, ex regulari natura novæ legis, ut trahatur ad futura, non autem respiciat præterita; Nisi ea prodierit per viam declarationis casus dubii, cum tunc etiam præterita percutiat. *decis. 9. par. i. sec. late Farinac. in fragmen. verbo lex ex num. 5. 1.* Sive an sit lex revocata, vel moderata, cum ista quoque aliquid attendi solet, vel tanquam doctrina magistralis, aut pro declaratione, vel interpretatione legis novæ.

Atque circa stylos Tribunalium, diversæ inspectiones cadunt; ut supra quoque insinuantur; An scilicet respiciant ordinatoria tantum, vel etiam decisoria, tam ad effectum facilitoris vel difficultoris probationis ut supra, quam ad alterum, an practicis debeat cum non subditis illius, fori eo modo quo superius de legibus dictum est; Sive ad effectum alterius questionis, de quo particulariter infra, agendo de exequitione & exequitore, an scilicet iste in exequitionis consumatione, vel in alterius delegationis exequitione, servare debeat stylum proprium, vel potius illum Iudicis causa principalis, seu delegantis, cum similibus. *infra disc. 40.*

Mixtura quoque subditorum, & exemptorum, in eodem iudicio, in legum præsertim municipiūm praxi, magnas questiones parere solent, de quo in suis respectivis sedibus agitur; An scilicet, & quando exemptus à foro, ac potestate legislatoris, subjaceat ejus legibus, ad quarum observantiam teneri debeat, saltem in via directiva, si non coactiva, ob fomentum legis naturalis, sive ratione publica necessitatis, vel utilitatis; Sive, quando usus legis principaliter habeatur cum proprio subdito, quamvis accessoriis, vel consequentiis influat in non subditum, cum similibus; Super his autem pene impossibile est certas statuere regulas generales, quibuscumque casibus, & quibuscumque locis indefinite applicabiles, non solum quia singulorum casuum diverse circumstantiae, etiam in eodem loco, in

quo cum eisdem legibus, & stylis vivatur, magnam judicii diversitatem cauflare solent; Sed fortius quia, ob adeo magnam, & multiplicem dominiorum, & principatum diversitatem, quæ inter Christianos viget, (& quæ etiam in politicis, Christiano nomine, & Fidei adeo præjudicialis est, tantamque licentiam tribuit ejusdem Fidei hosti, cuius Imperium est unitum) adeo quæ magna legum, & stylorum diversitatem induxit, ut etiam interdominia adjacentia, Quinimò (quod magis est) inter ejusdem Principis vel principatus provincias, vel membra adeo magna dignoscatur differentia, ideoque pro singularum locorum moribus, & legibus, vel respectivè pro singulorum casuum circumstantiis iudicium efformandum erit. *de huius. de dote disc. 143. & tit. de success. disc. 6. & tit. de alienat. & contract. pluries, ac etiam in Miscellan. Eccles. disc. 41.*

Hinc proinde, ad istum effectum, semper inculcanda est necessitas partis scientificæ in Iudice, habendi scilicet hujus facultatis peritiam, theoreticæ, & per sua principia, ad effectum, ut illis deservientibus pro lumine navigantium, ab istis pro qualitate locorum, & navium, ac temporum, bona navigatio applicationis fieri valeat; Et è converso, perpetuo damnandus, ac declamandus est modernus pragmaticus stylus, constituenti scientiam, cum solo lumine reperi toriorum, in solis doctrinis, vel decisionibus, vel in notitia conclusionum perolas traditiones, atque procedendo cum earum generalitate, sive cum doctrinarum sola litera, dum exinde tot resultant æquivoca, justitiae, ac veritati præjudicia, frequenter capiendo quid pro quo.

Super premissis autem, ac super aliis, quæ in ista materia cadunt, impossibile est certam normam seu regulam dare, nisi in Iudice omnium prædictarum partium bona unio accedat, quæ sine magna experientia non de facilis haberi potest; Ac propterea lex damnat eorum promotiones per saltum; Minusque possibile, vel de facili practicabile videtur, ita incidenter ad aliquam Iudicis instructionem, reliqua omnia referre, quæ circa præmisita, vel similia cadunt, cum vix in magnis voluminibus, ille qui in aliis occupatus non est, id explere posset; Ideoque ista ita solum indicasse sufficiat; Alia vero habentur in aliis locis, & sedibus supra insinuatæ; Et si ibi quoque desint, laborent, ac perquirant qui cupiunt, vel suppleant illi, qui melius fieri debere credant.

De sententia diffinitiva, vel interloquutoria; Et de utriusque diversa forma, & effectibus, ac de sententiae justificazione ex actis:

#### S V M M A R I V M.

**I** De generali significatione hujus vocabuli sententia.

**2** Judicialiter quid in praxi significet.

**3** Per sententiam diffinitivam iudex dicitur functus officio suo, ejusque jurisdictio expirat si sit valida, sed si sit nulla, eam retractat.

**4** Etiam si sit nullitas, qua resultat ab injustitia notoria.

- 5 Id autem non conceditur iudici delegato, sed solum ordinario.
- 6 Idem in exequitatore literarum Apostolicarum, ut jure delegati habeatur.
- 7 Scriptura an sit praeceps necessaria in sententia.
- 8 Non sufficit scriptura sine lectura ab ipsomet iudice.
- 9 An debeat lectura, seu promulgatio fieri sedendo, & de die, & an proferri posset de nocte.
- 10 Sententia non lecta, & non publicata, est nulla.
- 11 Quomodo fieri debeat ista lectura, & an alteri committi valeat.
- 12 De stylo, vel praxi Curie Romane circa modum sententiandi.
- 13 An imperfecta sit ea sententia, que per iudicem determinata tradita fuit Notario, ut faceret actum publicationis, quem iste neglexit.
- 14 Quomodo in Curia concipiuntur decretalia interloquitoria, & distinguuntur a sententia definitiva.
- 15 De diversis speciebus decretorum interloquitoriorum.
- 16 De decretis voluntariae jurisdictionis in contractibus per speciem solemnitatis.
- 17 Per decretum interloquitorium non finitur iurisdictio, sed potest reponere.
- 18 Exinde manat, ut possessoria sint exequitativa, quando procedatur per decretum interloquitorium, non autem per sententiam.
- 19 De stylo de partibus concipiendi decretalia interloquitoria.
- 20 De stylo Signature non curandi formalitates, atque rejiciendi appellationem in parte, illamque concedendam in alia parte, & dantur exempla.
- 21 Sententia in parte appellabilis, sit appellabilis in totum.
- 22 An stylus de quo num. 20. practicari posse, & debet per iudicem appellationis.
- 23 De stylo Auditoris Camera, aliorumque Tribunali non curandi excessum, & sustinendi condonationem, vel mandatum pro summa debita.
- 24 Quid ubi res non sit integra, sed processum sit ad exequitionem.
- 25 De aliis ad materiam.
- 26 Index debet procedere cum actis non autem per notitias extra iudiciales.
- 27 Sententia que non justificatur ex actis, est nulla, & injusta, sed distinguendi sunt plures causas pro istius conclusionis intelligentia.
- 28 De casu in quo generalis habeatur relatio ad acta, puta viliis actis &c. an sit necessaria praeceps justificatio ex eisdem, & quando.
- 29 Quomodo Iudices in Curia videant processus, & quid ubi deficiat potentia eos videndi.
- 30 De sententia, que habeat certam, ac speciale relationem ad certa acta.
- 31 De decretis voluntariae jurisdictionis in contractibus ex falsa causa.
- 32 Sententia antiqua non indiget justificatione ex actis dummodo accedit etiam observantia.
- 33 Etiam non antiqua probat sine actis, excipiendo.
- 34 Item incidenter, & ad quosdam effectus incidentes, qui exemplificantur.
- 35 Vel ubi ob casum vel justum impedimentum acta haberi non possint, vel sint amissa.
- 36 Sive ob impedimentum Partis adverse.
- 37 Aut quis subjecta materia seu qualitas causa ita exigat, quod exemplificantur.
- 38 Quod materia sit arbitraria, & quomodo desideranda.
- 39 Quid de justificatione ex novis, ubi aliqua ad sit iustificatio ex eisdem distinguuntur causas.
- 40 Non datur ista iustificatio ad sustinendam exequitionem jam factam, vel alium actum exequitionis consequitivum.
- 41 Neque datur ad sustinendas censuras.
- 42 Nova possunt deduci ad elisionem eorum, que de novo deducantur ad impugnationem antiquorum.
- 43 In exequitionibus iustificatio est facienda ex eisdem, quod declaratur.
- 44 Admituntur nova ad impediendam exequitionem sententiae.
- 45 Deducuntur etiam nova pro confirmatione iudicati.
- 46 De aliquibus effectibus sententiae remissive.
- 47 Quando sententia implicitè condemnare vel absolvere dicatur, licet explicitè non dicat.
- 48 De eodem, & datur casus praeceps.
- 49 De sententia lata cum uno an prajudicet tertio, & presertim in causa status.
- 50 De aliis ad materiam sententiae secunda instantia.
- 51 De tribus conformibus, vel duabus ex statuto.
- 52 In specie de statuto Vrbis in quibus causis procedat.
- 53 Quando dicantur conformes.
- 54 Quod duo conformes soleant expectare tertiam, vel tres quartam, & quare.
- 55 Quid si conformitas sit in parte.
- 56 Sententiae contrarie intermedia non tollunt conformitatem.
- 57 De aliis ad materiam.
- 58 Quare hodie in Curia res iudicata, vel tres conformes lisi finem non imponant,

## DISC. XXXVI.

N

Eglectis pluribus significationibus, quas in actibus extra iudicium, istud sententiae vocabulum, ex regulis grammaticorum, sive ex quadam communis usu loquendi recipit (cum de his nil referat inspicere;) Quatenus ad judicia pertinet; Istud vocabulum cuicunque iudicis determinationi, vel decreto, quamvis interloquitorio, vel provisionali congruit; quinimo etiam iudicio, sive determinationi Arbitrii, vel Arbitratoris, quod laudum frequentius dicitur, quoniam sententiae arbitralis nomen quoque fortitur.

Quidquid autem sit de hujusmodi nominis, seu vocabuli questionibus, dum pro foro pratico illæ inutiles esse videntur; Atque agendo de praxi Curiae Romane, ejusque judiciali loquendi usu; Istud vocabulum, convenient solum sententiae definitivæ, per quam Index, ejus officio fungi dicitur pro causa definitione, unde propterea illa instantia finitur, ipseque Index amplius in ea causa se ingerere non potest, praterquam in illis, quæ concernant ejusdem sententiae exequitionem, vel ea quæ in eadem sententiae reservata sint.

Iste vero præ ceteris, dicitur unus ex sententia definitivæ effectibus; Quoties tamen ea valida sit, quoniam ubi aliquem defectum nullitatis pateretur, ex illis speciebus, quæ hodie in Curia attenduntur, juxta ea quæ infra in nullitatum rubrica habentur, tunc iudicii ordinario facultas competit (propria sententia neglecta) causæ cognitionem reassumere, novamque proferre sententiam, vel priori conformem, vel etiam oppositam, ut in Tribunalis præsertim Auditoris Camera frequens praxis docet, quoniam nullum & nihil parificantur, ideoque sententia nulla habenda est, ac si non esset, adeo ut neque illius nomen mereatur. Vant. de nullitate cap. 3. Scaccia de appell. quæst. 19. remed 1. concl. 6. ex num. 73. Merlin. dec. 13. 5. dec. 63. 1. & 678. par. 2. rec.

Nullitas

Nullitas verò, quæ ad istum effectum sufficiat, ad solum defectum ordinis judicii male ter*vati*, restricta non est, sed ex meritis cause, quandoque manat; Quoniam ubi detegatur iustitia notoria, ita quoque nullitatem redolere dicitur, non solum ad istum effectum impediendi consumptionem instantiæ, ac expirationem jurisdictionis in Iudice, ut ejus officio functus dici valeat, necne; Sed etiam, ut exequitione non obstante, priori possessori, qui eam paffus sit, coram eodem, vel altero diversæ instantiæ Iudice, extra ordinariū remedium possessoriorum reintegranda, quoniam alterum magis summarium, ac privilegium retinenda, ex ratione solidi civili possessorionis animo retinæ, competit, ut etiam infra in rubrica judicij possessoriorum advertitur *infra disc. 44.*

Denegatur autem id Iudici delegato, cuius iurisdictio per sententiam diffinitivam, illico consumitur, & expirat, sive bene, sive male, ad eam deventum sit, adeo ut spectetur solum factum, apud eosdem de quibus supr. lit. A. & tit. d. alien. & contrar. disc. 1. Idque etiam ad illas sententias extenditur, que in forma extrajudiciali potius, quam judiciali proferri dicuntur. Ut præsertim freques praxis docet, in illis sententiis, que proferantur per Exequitores Apostolicos, deputatos in beneplacito concessio super alienationibus bonorum Ecclesiæ, cum clausa si in evidente, fine oppositore seu contradictori, quoniam si exequitor male ejus officium impartitus est, sibi non conceditur errorem emendare, atque deinde validi exequi, dum ejus potestas jam consumpta est, diu in alien. & contr. prohib. disc. 1. & in aliis. Cum similibus, quibus eadem congrua ratio; Puta in exequitoribus literarum Apostolicarum, quæ in beneficialibus, vel super aliis materiis expediantur, ut infra magis distincte advertitur in Rubrica judicij exequitivi in beneficialibus, *infra disc. 43.*

Ex iuriis communis dispositione, sententia diffinitiva, eam habet formam, ut pernecesse scripturam exigat, atque in scriptis proferatur, aliquibus casibus exceptis, in quibus scriptura necessaria non est; Ut puta in sententia interloquitoria; Aut in causis omnino summarisi, & exequitiviis. Vel ubi de re omnino notoria agatur; Aut ubi ita exigat imminentis necessitas, tanquam per speciem defensionis, ut in illis censuris habemus quæ potius in forma extrajudiciali proferantur, tanquam arma, cum quibus Praelatus se defendat cum similibus. Marant. in prax. verbo, & demum fertur sententia, Scaccia de sentent. gl. 12, num. 1. & seqq. & per tot. & tit. de iurisdict. discurs. 47. & 48.

Non sufficit autem scriptura, nisi quoque ludent, sedendo pro Tribunal, atque in forma judicij, cam ore proprio legat, & proferat, cum aliæ scriptura, futuræ sententiæ præparationem, continere valeat; Ideoque actus dicatur esse potius in via quam in termino; Ad instar eorum, quæ in testamentis habemus; Illum etenim Narrati interventum, quem hodie praxis penè ubique docet; Ius commune non cognovit sive præcisè necessarium esse non statuit. apud Scacciam, & Marant, & alios proximè supra,

Quæstione cadente inter scribentes, cum consueta opinionum varietate, an id fieri debeat sedendo pro Tribunal, tanquam pro forma præcisa; Vel potius sufficiat, ut id sequatur, stando, vel ambulando; Sive an de die, vel fieri possit

de nocte; Verum super hoc Tribunalium seu locorum stylis deferendum videtur; Atque in Curia proferuntur, etiam de nocte. Scacc. & Marant. locis citatis, & de sententia de nocte add. ad. Vefr. lib. 6. c. 2. Gregor. & add. dec. 13 l. Polydor. Rip. de nocturn. tempore cap. 13 4.

Atque hinc manat vera, & recepta conclusio, quod sententia non lecta, neque publicata, imperfecta est, neque illius nomen, vel essentiam fortior, cum illa scriptura, quamvis manu Iudicis scripta, vel subscripta sit, præparatio, ut supra potius dici valeat, dum perfectio ab ista lectura pendet, quæ non presumitur. Ottob. dec. 163. nu. 7. & seqq. Scacc. & Marant. ubi supr. a.

Quamvis autem de stricta juris censura, per ipsum Iudicem ore proprio sententia ferri debet; Attamen sive ob Iudicis conspicuam qualitatem, vel decorum & majestatem; Vel ex altero justo motivo, istam functionem alteri delegari, vel committi posse, ipso tamen Iudice præsente, & approbante, apud DD. est magis communiter receptum. Marant. & Scacc. ubi supr. a. Atque pro frequentiori usu, ipso Iudice sedente pro Tribunal, ad omnem ambiguïtatem tollendam, pene generalis inolevit stylus, ut hæc lectura, seu publicatio fiat per illum Notarium, vel Scribam, seu Auditorium, qui pro diversis locorum stylis, aut occupationibus alia conficit acta ordinatoria, in præcedentibus reconsita.

Quidquid itaque sit de diversorum Principatum, vel Tribunalium stylis, vel legibus, quibus est deferendum, unde propterea materia censenda venit incapax regulæ generalis, qua quibuscumque locis & casibus applicari valeat; Et per consequens, manifestus detegitur error eorum, qui super sententiæ forma vel lectura, cum generalitatibus procedunt, sive aliquas DD tradiciones attendunt in sola litera, quales quales illi sint, non refleßendo, an sint antiqui vel moderni; Sive, an propriæ, vel diversæ regionis; Aut, an practici forentes, benè versati in loco, vel potius collectores, vel transcriptores, qui nullam fori notitiam vel proxim habeant; Ut præsertim in Iuristis scholasticis, vel in iis Moralibus, qui in legalibus, & forensibus ingerere volunt, frequenter experimur, quoniam totum pendet à singulorum principiis vel Tribunalium, particularibus legibus, vel stylis.

Quatenus tamen pertinet ad Curiam Romanam, & præsertim ad illa ejus Tribunalia ecclesiastica, quæ universo Orbi catholico sunt communia, atque in forma judicij procedunt; ut sunt illa Rotæ, & Cameræ, & Auditoris Cameræ, & Thesaurarii, quæ universæ temporali ditioni Ecclesiæ quoque communia sunt (dum Sacris Congregationibus forensium Tribunalium terminus non congruit eo quia telam vel ordinem judicari non attendunt, ut in relatione Curie de illis agendo, advertitur.)

Receptus stylus est, quod sententiæ diffinitivæ proferuntur per quandam scripturam, ab aliis actis distinctam, quæ scedula nuncupatur, ea que ab invocatione nominis Christi initium habet, ideoque apud Practicos, quando sententia diffinitiva describitur, illa discretè decreto interloquitoris; dicuntur per schedulam Christi nomine.

Ista vero schedula, pro magis communi, & frequenti praxi, conficitur, seu ordinatur per ipsam met

met Partem, cuius favore proferenda sit, ut contingit præsertim in Rota, & in Camera, dum prius cum decisionibus, vel resolutionibus respetivè, votum per aliquod considerabile tempus prolapatur, ut in eadem *relatione Curia* agendo de istis Tribunalibus advertitur, in *relatione Curia* discr. 32. & 33. In aliis vero, & præsertim in illo Auditoris Cameræ, postquam compilatus est processus, causaque instructa, atque in contradictoriis etiam discussa, iudex injungere sollet partibus, ut dent eorum schedulas hincinde, causæ Notario, vel ipsimet Iudici, una cum informationibus, aut ex ipsarum vel unius earum diligentia, isto ordine non expectato, id sequitur; Quare Iudex, postquam determinavit ad sententiam devenire, illam cedulam quando ita sibi videatur, in aliis partibus, cum super additionibus, vel cancellationibus reformat; Et postquam eam subscriptiperit, tradit Notario cause, qui ex commissione sibi oretenus fieri solita, illam in proprio officio, sive alibi publicat coram testibus, extra præsentiam Iudicis.

Priusquam autem iste publicationis actus sequatur, subscriptione & consignatione non obstante, illa esse dicitur potius in via, quam in termino, adeo eidem Iudici integrum sit, eam reassumere, ac lacerare, atque in contrarium sentiri, juxta frequentem proximam alibi quoque supra insinuatam *sapra discr. 34.*

In facti vero contingentia, disputare occasio dedit de casu forte singulari; An scilicet Iudice subscribente schedulam, juxta sibi visam formam, eamque tradente Notario, ut juxta stylium eam publicaret, adeo ut quod eum, actus haberetur pro jam absoluto, si Notarius publicationem negligat, dicatur tamen consumpta illa instantia, ipsiusque Iudicis jurisdictio expirata, necne; Et an idem iudex, vel alter eius loco substitutus, neglectadicta schedula, ulteriore causa cognitionem reasumere valeat; Atque scribendo pro instantia terminatione, ut propterea causa aliam non haberet cognitionem, nisi illam in ulteriori diversa instantia, appellationis, vel recusus, aut restitutionis in integrum; Dicebam, quod ex præmissis, Ius civile, vel canonicum, non cognovit hanc Notarii necessitatem, quodque proprius sententia per ipsum Iudicem proferri debet, cum ipse sit ille, qui revera actum perficiat, totumque pendeat ab ejus voluntate, qua accedente, non videtur de alio querendum, neque Notarii negligentia in non publicando, veritatis seu voluntatis Iudicis substantiam mutare potest.

E converso autem (reflexando ad veritatem) ponderabam ea, quæ habentur in materia testamentorum, aliarum ultimarum voluntatum, quamvis de illis agatur, quæ solemnitatibus juris positivi non subjacent, sed solum exigunt perfectionem voluntatis naturalis, quoniam si ille testator, qui poterat tunc coram duobus testibus, vel per schedulam per seipsum perfecte testari; Attamen id commiserit Notario, vel alteri, ad effectum desuper conficiendi aliquem actum, qui deinde non sequatur, tunc subsequuta morte, vel alio impedimento testatoris, actus, magis communiter recepta sententia, dicitur imperfectus, etiam ex imperfectione voluntatis, dum ille testator, qui tunc poterat per seipsum actum perficere, ad alium futurum actum eum protractit, ut exinde perfectionem reciperet. *tit.*

*de testamen. discr. 13.* Ita à pari, stante præsertim stylo, ob quem Partes, donec dictum actum publicationis in actis videant, justè credunt rem esse adhuc integrum, atque in statu imperfectiōnis; Itēque erat quoque sensus Rota, in qua, occasione causæ extra Rotam, uni ex Auditoribus commissæ, disputatum solum fuit per memoriale, non autem per dubium unde propterea desuper non prodiit decisio.

Ubique agitur de decretis interloquitoriorum; Tunc Curæ stylus est, quod, non scribuntur, neque subscribuntur per Iudicem, neque in eis adhibetur superioris recensita solemnitas publicationis, sed sunt oretenus, eaque adnotantur in calce citationis per Notarium causæ, cuius fidei in hac parte defertur, ac propterea, ita ex hoc diverso modo concipiendi, distinguuntur sententiae, à decretis.

Tres autem sunt hujusmodi decretorum species; Una scilicet eorum, quæ concernant ordinem judicii; Puta super admissione jurium, vel articulorum, sive positionum, earumque responsionum, vel super concessione remissoriarum, seu compulsorio, & in aliis hujusmodi, quæ dictum ordinem seu compilationem processus respiciunt; Altera est super provisionibus, quæ causa pendente, capiantur; Puta super sequestro provisionali, vel super alimentiis, & sumptibus litis, aut super decreatione alicuius summae in causam declarandam, & aliis continentibus quid mixtum, quod scilicet non concernant mere ordinaria judicii, minusque decitoria cause principalis, sed incidentia; Et tercia est illa, quæ continere videtur decisoria, in judiciorum summariorum, & exequitivis, ex eorumdem judiciorum natura, & privilegio, absque eo quod resultet præjudicium totale in negotio principali, super quo consultum esse possit alteri Parti, contra quam fiat decretum, in judicio ordinario petitorum; Ut (ex. gr.) sunt de creta relaxationis mandati exequitivi contra debitorem pro exequitione obligationis cameralis, vel alterius pacti exequitivi, sive in vim Statuti, vel quod etiam de jure communis materia sit exequitiva; Puta super revocatione, seu purgatione attentatorum; Ac etiam sunt decreta, quæ interponuntur in summario, & exequitivo judicio retinendæ, quod vulgo mutationis dicimus; Aut in alio pariter exequitivo associationis, cum similibus, in quibus proceditur per decretum interloquitoriorum, non autem per sententiam diffinitivam.

Datur etiam quarta species decretorum, quæ in simili forma fiant, oretenus scilicet, cum sole rogiti Notarii, cui creditur absque necessitate subscriptionis Iudicis, & publicationis; In illis scilicet decretis voluntarij jurisdictionis, quæ ex dispositione juris communis, vel municipalibus, pro una ex solemnitatibus statutariorum, interponuntur in contractibus minorum, ac mulierum, aliarumque similibus personarum, in quibus ita cautum sit; Verum ista species decreti, quæ de diffinitivo potius, quam de interloquitorio sapere videtur, non cadit sub hac inspectione judiciorum, cum actus judicialis seu contentiousis non sit, sed potius sub diversa materia alienationum & contractuum prohibitorum cadat. *tit. de alienat. & contract. prohibit. plures.*

Quatenus itaque pertinet ad præfatas species decretorum interloquitoriorum judicialium,

quæ

quæ fiant in Curia, juxta dictum stylum, vel etiam extra in illis Curis, & Tribunalibus, in quibus, ad instar idem servetur stylus; Ex ista specie decretorum, non resultant illi effectus de quibus supra est actum, in ordine ad sententiam diffinitivam, quod scilicet operetur terminacionem illius instantiae, & consumptionem officii, vel jurisdictionis Judicis, qui propterea dicatur functus ejus officio, neque possit amplius in causa se ingerere, revocando, vel moderando id, quod judicavit, præterquam in casu nullitatis, respectu Judicis ordinarii, non autem delegati ut iupra; Quoniam in decretis interloquitoris, à quibus re integra, (id est usque quo eorum exequatio consummata non fuerit) facultas est repoenendi, ac etiam impediendi ulteriorem consummationem, etiam capte exequutionis, concedendo superfloriam, & quandoq; etiam revocando; Ac propterea reputantur hujusmodi decreta modici præjudicij, ad effectum praesertim appellationis suspensivæ, cum integrum est JUDICI reponere, idque pro commendabili stylo de facili sequitur, atque ita indies practicatur, Salif. Tiber. in prax. l. 1. c. 53. Buratt. dec. 329. n. 5.

Atque hinc manat, quod in aliquibus judiciis, non admittatur appellatio suspensiva, quoties concedatur per decretum; Intret autem quando procedatur per sententiam, ex dicta ratione, ut 18 advertitur disc. sequenti, agendo de appellatione, ac etiam infra in rubrica, seu discursu in quo de possessoris judicis agitur.

Procedunt hæc in Curia, ac etiam in aliis Tribunalibus, in quibus idem servetur stylus; Ut in plerique Curis & Tribunalibus tam ecclesiasticis, quam prophanis Status Ecclesiastici servari solet; Cadunt autem quæstiones in causis, quæ de partibus per appellationem ad Curiam devolvantur, quoniam in partibus, ista distin<sup>19</sup>ctio non adeo bene practicari solet, quia nempe omnes sententiae, sive sunt diffinitive, sive interloquitoriae, juxta dictas tres diversas species, subscriptibuntur per Iudicem, neque haberi solet dicta diversa forma, adeo ut frequenter attenta forma verbalis, seu extrinseca, ita confundantur, ut vix distinguiri valeat una species ab altera; præfertim in supradicta specie interloquitoriae, quod tangat negotium principale in iudicio summario vel exequutivo cum in decretis adhiberi soleat illa formalis condemnatio, quæ non nisi per sententiam fieri debet; Et è converso, sententiae diffinitivæ concipiuntur in ea forma, in qua concipiuntur decretæ; Ac propterea stylus est praesertim Signatur x justitiae, in qua frequentius de his disputari solet, ad effectum inspiciendi de moderatione inhibitionis, & an appellatio admitti debeat, necne ad effectum suspensivum, ut scilicet attendatur potius rei seu veritatis substantia, quam formalitas verborum, inspicioendo, an verè adgit formalis mixtura petitorii.

Et nihilominus Cut in relatione Curiae, agendo de hoc Tribunali Signaturæ advertitur, pro commendabili quidem stylo, commiserando litigantes, & ne ob Iudicium, vel Notariorum, aut Causidicorum imperitiis, Partes patientur illa præjudicia, quæ ex natura judicij, vel actionis pati non debent, attenduntur substantia veritatis, atque negliguntur, vel refescantur quædam rigorosæ formalitates; puta (juxta ibi insinuatum exemplum ratione majoris frequentiae) favore creditoris censuarii, contra debitorem morosum in

solutione plurium terminorum fructuum, in vim pacti reficiunt, per quandam speciem sententiae diffinitivæ, decerni solent mandata exequitiva, vel de associando, tam pro forte, quam pro fructibus, cum clara mixtura petitorii, super rescissione contractus; Verum hoc non obstante, Signatura committit quidem causam appellationis, in ea parte, quæ concernat dictam mixturam, sed quia fructus censuum solvi debent, prompte, & exequitive, idcirco, cum consueta clausula sine prejudicio, demandatur exequitio quoad fructus, cum similibus, in quibus eadem intret ratio.

Sed quoniam id non est de jure, cuius regulis rigorose attentis, contrarium est dicendum: cum una, & eadem sententia, vel unum & idem decretum, unica verborum structura conceptum, tanquam individuum, non possit pro parte valere, & pro parte non, ideoque vitium in parte intuit in totum, tam quoad nullitatem, quam quoad appellabilitatem. Buratt. & add. dec. 177. 337. 368. Bich. dec. 274. Giurb. dec. 101. & passim. Hinc sequitur, quod istud, commendabile quidem arbitrium moderativum rigoris legalis, interponi non potest à Iudicibus ordinariis appellationis, sed solum ab hoc Tribunali, quod Principis partes ita explicare videtur, ejusque vice, ac nomine rescribit, ut in dicta ejus rubrica advertitur, dicitur disc. 31. in relatione Curia.

Nisi dicatur, quod cum id transferit in stylum ab hoc Tribunali jam firmatum, ita commendandus potius videatur ille Iudex appellationis, qui ad refescandos inanes circuitus inaneisque expensis faciat idem quod Signatura factura esset, concedendo scilicet moderationem suæ mhibitionis quoad fructus.

Eomodo, quo introductum est, ex originary styllo Tribunalis Auditoris Cameræ, qui ad alia Tribunalia Curia extensus est, quinimodo per Signaturam practicatus etiam in causis de partibus, occasione carum introductionis per appellationem, quod scilicet, quamvis excessus vi sit sententiam vel decretum in totum, quamvis esset in modico, ex eadem superiorius insinuata ratione individuitatis, adeo ut pars appellabilis, secum trahat aliam partem non appellabilem; Attamen isti legales rigores, qui in substantia continent quasdam formalitates, ad aliud non servientes, nisi ad circuitus inanes, atque ad fermentum calumniarum, cum alternatione litium, meritò reflecantur, ac propterea demandatur exequitio pro summa vere debita, pro qua decretum seu mandatum sustinetur. Buratt. dec. 91. Bich. dec. 374. num. 22. Rojas. dec. 5. 40. in fin. quoniam si (ex. gr.) ille, qui condemnatus est in mille, prætendat se gravatum in quingentum, quorum respectu tantum habere prætendat alias exceptiones, quas nullatenus habeat in reliquis quingentum, quæ liquido ac indubitanter debeantur, tunc non videtur, cum ob hujusmodi formalitates, retardari debeat exequitio summæ certæ, & liquidæ, in materia de sui natura divisa, in qua eadem sit ratio totius quoad totum ac partis quoad partem.

Quinimodo, ut in predicta Tribunalis Signaturæ rubrica advertitur; Quamvis iste stylus sustinendi mandatum excessivum pro summa debita, verè procedat re iugata, & priusquam illud exequitioni demandatum sit, adeo ut exequitio excessiva in parte, vitiet in totum. Buratt. & add.

dec. 91. Gregor. & add. dec. 198. Roias dec. 284. Ad-huc tamen ab aliquo moderno tempore, (& qui-dem etiam valde commendabiliter) eadem ad-mittitur aequitas; Quoties eadem intret ratio commoda divisionis, quod scilicet exequitio facta, sit talis, quod excessus non producat in debito notabile prajudicium; Ubi etenim (ex.gr.) pro mandato relaxato in scutis mille, fiat ex-equitio, & tuba haftatio alicujus praedii notabilis; Tunc si adsit excessus in quingentum, recte intrat irritatio in totum, quoniam si mandatum ju-stè relaxatum fuisset in sola summa debita, po-tuisset debitor, commodius aliunde consulere; Sive quod exequitio facta fuisset in rebus minoris valoris, & magis proportionatis; Sed si ex-equitio facta sit super mercibus, vel super anima-libus, aut aliis bonis mobilibus, sive super locis montium, aut nominibus debitorum, & simili-bus juribus, de sui natura dividuis, in quibus in-tret dicta ratio, quod scilicet tanta sit utilitas to-tius quoad totum, quanta partis quoad partem; Tunc eadem intrat aequitas vel ratio, ob quam hujusmodi circuitus evitandi, vel resecandi sunt.

Sub hac autem materia sententiae, multa ca-dunt, quae respiciunt, vel ejus appellabilitatem etiam ad effectum suspensivum, vel ejus transi-tum in rem judicatam, sive restitutionem in integrum, quae adversus eandem rem judicatam competat, ratione injustitiae, aut nullitatis, qua-impedit ne in judicatum transeat, & exequitionem mereatur; Sed quoniam haec omnia suas ha-bent distinctas & particulares rubricas, de qui-bus proxime infra, idcirco in eis videndum est, dis. eq.

Prout etiam, multa cadunt, quae respiciunt effectus, qui resultant à sententia, quod pariter non percutit ipsius sententiae formam, vel essen-tiam, sed alia quae pertinent ad exequitionem aliosque effectus de quibus infra in inspec-tionem efficiuntur.

Majores autem, ac frequentiores quæstiones cadere solent, circa sententiae justificationem ex actis, stante regula, in precedentibus plures enunciata, quod Iudex tenetur sententiare, ex a-ctis, & probatis, atque non sufficit ejus extradi-cialis scientia, vel informatio, supra dis. 3. & alibi. Et consequenter intrat vulgaris, & recepta conclusio, quod sententia, quæ non justificatur ex actis, vel est nulla, vel habenda non est in consideratione pro effectibus ex ea resultantibus. Gregor. & add. dec. 1. & 209. dec. 197. par. 5. rec. dec. 336. post 2. vol. consi. Farin. cum alias de quibz infra-

Verum quia ista generalis propostio, nimium vaga est, ob varias limitationes vel declaratio-nes, quas ea recipit, unde propterea frequens praxis docet æquivocorum incursum; Idcirco pro ejus congrua applicatione, adhibenda est ea casuum distinctio, quæ ex adeò frequenter insi-nuat pro meo iudicio penè in omnibus foren-sibus vel practicis quæstionibus pro eadem con-grua applicatione videtur necessaria.

Primus itaque est casus, in quo sententia, ex-pressam habeat relationem ad acta; Et tunc in-trat distinctio, quod Aut agitur de illa relatione generica, quæ pro communi stylo, in sententiis adjici solet; Puta visis actis, &c. alisque visis videndi, &c. Et tunc id non alteret regulas generales ut infra circa facultatem justificandi ex novis, quo-niam dicitur expressio ejus quod inest, dum er-

iam si non exprimatur, de jure id est subintelli-gendum, quod Iudex non potest nec debet sen-tentiare nisi visis actis, viso que processu, saltim cum oculis intellectus; Eo modo quo docet praxis Curie, quod scilicet Iudices, prout etiam Advocati, non subjacent improbo, & mechanico labori videndi oculariter processus per se ipsos cum oculis corporeis, sed vident cum oculis mentis, vel intellectus, cum informationibus, & summaris, qua dantur per Partium defensores vel cum relatione Notarii; Benè verum, quod quandoque oculari, & zelantes Iudices, quando ob unius Partis contumaciam vel quia debilem habeat defensorem, tenentur practica-re rubricam ut que defuncti Advocatis, Iudex suppleat; Ideoque solent, ac debent videre processus in aliisibus partibus substantialibus, in quibus constat causa pondus, ideoque sufficit possibilis, quod scilicet uno vel altero modo potuerit videre; Ac propterea quando ista possi-bilitas desit, quia nempe, ex facti circumstantiis constet quod ista visio vel notitia adesse non potuerit, tunc sententia dicitur invalida, sive contineat dictam genericam relationem sive non. Buratt. dec. 251. decis. 170 par. 6. sec.

Aut vero relatio est specifica & præcis ad certa jura, seu certa acta; Et tunc si constet, quod ista non adesset, vel quod si existunt, diversa sint ab eo, quod in sententia præsupponitur; Et tunc sententia corruuit, tanquam lata ex falso cau-sa, vel ex falso præsupposito. Buratt. & add. dicta decis. 251. dec. 139. & 165. Capit. Latr. con-sult. 6.

Ut etiam frequens, peneque quotidianum habemus in illis Iudicium decretis, quæ in for-ma extrajudiciali, & voluntariae jurisdictionis ad satisfaciendum Statutis interponuntur in con-tractibus minorum & mulierum, ac similibus personarum, quæ liberæ ac sine certis solemnitatibus prohibita sunt contrahere, quoniam si contractus, certam habeat causam, quæ in toto, vel in parte sit falsa, quoties ea sit principialis vel coæqualis, tunc decretum corruuit, atque habetur pro non extante ex hoc defectu falsi præsuppo-siti, ut in sua peculiari sede alienationum & con-tractuum prohibitorum advertitur. tit. de alienat. & contract. prohib. pluries.

Alter casus est, ubi dicta relatio non accedit, sed objicitur, ex dispositione juris, de non ju-stificatione sententiae ex actis, quorum existen-tia dubia, sive incerta sit; Et tunc Aut agitur de sententia antiqua, qualis dicitur illa quæ excedit metam longissimi temporis annorum triginta, dummodo conjunctim accedit etiam observan-tia, & non alias, & necessaria non est haec justifi-catio, quoniam præsumitur. Cavaler. dec. 22. & 203. Mantic. decis. 296. add. ad Buratt. dec. 76. Eo-dem modo quo ex hoc lapsum temporis longissimi, juncta cum observantia, resultat præsumpta justificatio gratia, vel cuiuslibet alterius extrin-secæ solemnitatis, quoties ista præsumptio non excludatur per contrariam probationem, juxta ea quæ generaliter in hac materia justificationis præsumpta, in suis sedibus habentur. tit. de alien. & contract. discurs. 1. & 3. & in aliis & tit. de dote dis. 143.

Aut cessat haec antiquitas; Et tunc intrat dicta regula generalis super necessitate justificationis sententiae ex actis; Adhuc tamen ea plures reci-pit limitationes, vel declarationes.

Primo

33 Primo nempe, ubi deducatur solum excipiendo, ita tamen quod exceptio non sit talis, ut implicitam praefera illius exequitatem, sed sit ad alium effectum. *Rolas dec. 454. cum aliis per add. ad Buratt-dec. 636. & 76. dec. 501. par. 4 rec. tom. 2.*

Secundò, ubi ea deducatur incidenter ad effectum illius probationis, qua pariter exequitatem implicitam non redoleat, sed pro alio minori effectu; Puta pro præsumptione boni juris ad effectum obtainēdi alimenta & sumptus litis. Sive ut alia intret æquitas téperativa alicui rigoris legalis, sive ubi deducatur tanquam unū ex adminiculis conjungendum cum aliis, juxta præsentim ea, qua habemus in probatione Jurispatronatus, cum similibus, *tit. de iure patr. disc. 57. & 58.*

Et tertio, ubi accedit justum, & non affectatum impedimentum, ob quod, sine facto vel culpa eius, qui sententiam obtinet, ista justificatio sequi non valeat; Puta quia doceat de aliquo incendio, vel alio excidio processuum, & scripturarum existentium in aliquo officio vel archivio sive quod bene probetur præcedens existentia, cum mere causali amissione particulari illius processus, vel actorum, adeo ut absit omnis suspicio affectionis, *tit. de hærede in supplemento Arianen. & aliis.*

Aut quod acta haberi non possint, ob impedimenta, que ab altera Parte præsentur, cum tunc inodium impeditis, habenda sint pro extantibus, ut in detersus in eius præjudicium atque in melius ad favorem impediti. *Buratt. & adden. decif. 335. 405. 415. decif. 18. par. 5. rec-dec. 75. par. 6. & seq.*

Vel demum, quod subjecta materia secum trahat impossibilitatem obtainendi acta, etiam sine aliqua culpa alterius Partis; Puta quia agatur de actibus, ac processibus confessis in causa utrusque læsa maiestatis divinae vel humanae, qua ex notorio communī stylō dari non solent, *de hoc particulariter agitur in Romana confiscationis tit. de Regal. in supplemento.*

Bene verum quod hæc ultima declaratio, seu lizatio, circumspetè intelligenda est, spectato sci-licet effectu, ad quem sententia deducatur, ubi enim deducitur incidenter vel coadjutativa, recte procedat, secus autem si principitaliter, atque pro principali fundamento actionis, ex iis qua magis distincte occasione, præsentim probationis delicti ad effectum confiscationis honorum, deducuntur in sua fede, quoniam nimia digressio esset in hac generali inspectione, id formiter examinare, *loco proxime citat. & infra disc. sequenti occasione transportationis actorum.*

Hinc proinde sequitur, ut materia dici non valeat capax regulæ certæ, & generalis cuiuscumque cuius applicabilis, dum revera totum pendet; Vel ex effectibus ad quos sententia deducatur, ut Vel ex singulorum casuum circumstantiis, ex quibus pendet determinatio, an intret regula, vel potius aliqua ex limitationibus.

Procedunt hæc, qua ita generaliter adnotata sunt, quando sola sententia deducatur sine actis, vel sine aliqua justificatione in genere; Verum alter subintrat casus, quando aliqua adsit acta, qua tam concludentem, vel sufficientem non præbeant justificationem; Sive quod ista adsit quidem sed resulteret ex novis iuribus postea exhibitis, qua de tempore emanata sententia, non erant in actis, scilicet admittenda sit, nec ne justificatione ex novis; Super hoc autem potissimum, ob opinionem, vel decisionum varietatem, aliqua dignoscit videtur involutio, æquivocorum productiva, sed pariter cum di-

*Card. de Luca de judiciis & judiciaibus.*

stinctionibus procedendum est, & consequenter erroneum remanet, procedere cum regulis, vel doctrinis generalibus.

Primus enim casus est, quando agatur de sententia, vel de decreto jam exequitioni demandato<sup>s</sup>, adeo ut exequitio consumata sit, atque ille, qui eam passus est, istam nullitatem, ex defectu justificatio-<sup>40</sup> nis actorum alleget, ad effectum manutentionis, aut reintegrationis in possessione illorum honorum, vel jurium, quibus per huiusmodi exequitionem se spoliatum dicat; Sive ad effectum nullitatis illius obligationis, vel alterius contractus præjudicialis, quem fecerit in carceribus, in quibus vigore talis sententia, vel decreti intrusus fuerit, cum similibus; Et tunc rigorose intrat regula prædicta, ut sententia justificanda sit ex eisdem actis, quæ de per se sufficiencia sint, atque non admittatur justificatio ex novis. *Gratian. discept. 734. decif. 73. par. 10. rec. & in alia præcedenti ibi relata, & infra disc. 40. decif. 306. par. 7. rec.*

Quod etiam à paritate, imo à majoritate ratio-<sup>41</sup> nis, procedit in censuris ecclesiasticis, cum ista ma- jorem, magisque præjudicialem exequitionem importare dicantur, ideoque rigorose necessaria est sufficiens justificatio ex eisdem, atque non admittitur illa ex novis. *Seraphin. dec. 701. Buratt. & add. decif. 251. 600. & 760. & in aliis.*

Nisi ex eisdem pateat quidem de justificatione sufficienti, sed insufficiens reddatur ex novis iuri-<sup>42</sup> bus, quæ impugnativè per alteram Partem postea deducantur, quoniam tunc per viam replicationis licitum est vitori, qui sententiam eiusque exequi-<sup>43</sup>

tionem obtinuit, deducere nova jura, cum ista deduci non dicantur ad justificationem sententiae, vel exequitionis, sed ad elisionem nova impugnatio-<sup>44</sup> nis, ideoque licitum esse debet repellere nova cum novis, cum sufficiat JUDICI, & vitori, quod tunc, eoque statu attento, bene processum fuerit, cum suf- ficienti justificatione. *Cels. decif. 92. & in aliis.* Ac etiam inferioris agendo de consumatione exequitionis, & de remedio manutentionis, vel reintegra-<sup>45</sup> tionis, quod adversus factum Judicis tanquam nullum, vel notoriè injustum intentari solet, advertitur. *infra disc. 44. agendo de iudiciis possessoriis.*

Alter casus est, ubi res adhuc integra sit, quia nempe sententia, vel decretem adhuc suum non ha-<sup>46</sup> buerit exequitionem, qua per vitoriū petatur, per viētū autem pretendatur denegari debere, ex insufficiens justificatione, quia nempe agatur de processu summario, & exequitivo? Et tunc pariter regula est, ut justificatio fieri debeat ex eisdem, & non admittatur nova. *Duran. dec. 172. & 230. dec. 536. par. 5. rec. dec. 36. in fin. par. 10. rec.*

Quoties tamen ista deducantur ad omnino dam justificationem ex integrō; Secūs autem ubi adsit quidem justificationis, sed pretendatur quod ea non sit omnino perfecta & sufficiens, idque aliquam ha-<sup>47</sup> beat dubietatem, ad quam elidendam vitoriū in corroborationem justificationis, qua jam existat in a-<sup>48</sup> ctis, alia nova jura deducat, cum isto casu admitten-<sup>49</sup> da veniant.

Tertiū casus est, ubi adsit quidem sufficiens ju-<sup>44</sup> stificatione ex parte vitoriū, sed vicius, re adhuc integras ad impediendam exequitionem, saltē ex bene-<sup>50</sup> ficio restitutio-<sup>51</sup> nis in integrum, deducat nova jura, cum quibus fundet eius exceptionem, sive elidat il-<sup>52</sup> lam probationem, cui sententia exequenda innixa est; Et tunc, licet ex quadam rigore iuris civilis, il-<sup>53</sup> la iura, quæ post conclusum in causa, fortius vero post iudicatum exhibeantur, admittiti non debeant, neque ex novis retractari debeat id, quod iam

O

Indica-

ordinis processus, adeo ut redoleat absolutionem ab observatione judicii, tunc ita dicitur adesse implicita absolucionaria, apud proximè allegatus, cum similibus, in quibus intret eadem ratio necessarii consequentis, quod resultet ab antecedenti, super quo pronuntiatum est, ut etiam advertitur infra in proposito trium conformium, ad effectum, ut sententia, vel decretum super exequitione faciat numerum.

Quartus est casus, ubi agatur de sententia confirmatione, vel confirmatione in alia instantia in gradu appellationis, vel in eadem, quia nempe agatur de sententia interloquitoria, à qua licitum sit repornere, juxta supra insinuatum stylum Curie Romane; Et tunc planum est, ut tam ad unum, quam ad alterum effectum, licitum sit deducere novas justificationes, ex generali assumptione, quod non deducta deducam, & non probata probabo. Ideoque cum his distinctionibus in ista materia justificationis sententiae ex actis procedendum videntur, Buratt. dec. 584. & 630. & apud supra allegatos, & paßim.

Ultra vero ea que infra in Rubrica nullitatis, & restitutionis in integrum habentur, circa validitatem, vel invaliditatem sententiae, que fecerit transitum in judicatum; Ac etiam ea que habentur in proxime sequentie Rubrica appellationis, circa sententia suspensionem, ac alia, frequenter dubitari contingit de effectibus, qui ex sententia resultant, quavis per appellationem, vel per restitutionem in integrum ea suspensa sit.

Quavis etenim appellatio, in iis casibus, in quibus intrat, ita suspendat sententiam, ut habenda sit perinde, ac si lata non esset ut disc. sequ. advertitur; Adhuc tamen nonnulli ex illa resultant effectus vitori proficiunt; Ut puta est ille sequestri, quod apponitur in vim Clementina in beneficialibus, vel alter circa presumptionem boni juris supra insinuatam pro suppeditatione alimentorum, & sumptuum litis, aut pro refectione, vel suspensione attentatorum cum similibus, que tamen sub hac rubrica non cadunt, cum ea principaliter respiciant ordinem judicii, ad effectum conjiciendi, quando terminet processus, seu instantia, nec ne. Prout etiam infra in eo discursu, in quo agitur de judicio exequitivo in in actione personali, habetur de alio effectu vulnerationis processus exequitivi, qui resultat a sententia absolucionaria.

Cadit autem sub hac inspectione materia interpretationis, seu comprehensionis, ad effectum interpretandi, quando etiam sententia aliquid in verbis non continet, adhuc tamen virtualiter, vel implicitè id continere videatur, tam condemnando, quam absolvendo; Idque nimium referre solet ad plures effectus, illum praesertim rei judicata, vel trium conformium; Receptum vero est, quod sola implicita seu virtualis comprehensione sufficit; Ut puta, Titius petit à Sempronio mille ex causa mutui, vel ex alio contractu, Sempronius autem reus convenitus, opponit de aliqua exceptione, puta solutionis, vel compensationis, aut simulationis, vel dolii &c. Si Judex pronunciet super rejectione exceptionis, declarando illam non subsistere, vel non competere; Quoties non constet id provenire à sola ratione ordinis iudicari, tunc ita implicitè facta dicitur condemnatio ad solvendum. Galeo lib. 2. contr. 34. & 35. Rovit. dec. 60. & 97. ubi distinguuntur dec. 32. par. 6. rec. ubi etiam distinguuntur cum aliis infra nu. 48.

Et è converso, Titius petit à Sempronio mille, in vim alius contra ius, vel scripture; Judex autem pronunciet, contractum, vel scripturam non subsistere, vel non mereri exequitionem; Quoties pariter non constet id provenire à praefata ratione

ordinis processus, adeo ut redoleat absolutionem ab observatione judicii, tunc ita dicitur adesse implicita absolucionaria, apud proximè allegatus, cum similibus, in quibus intret eadem ratio necessarii consequentis, quod resultet ab antecedenti, super quo pronuntiatum est, ut etiam advertitur infra in proposito trium conformium, ad effectum, ut sententia, vel decretum super exequitione faciat numerum.

Quinimò aliquando, in facti contingentia ista implicita pronunciatio, sine consequenti necessitate, admissa fuit, etiam ad effectum rei judicata, quod tamen asperum visum est, siquidem ex canonizatione antiqui status cathedralici alicuius Ecclesie, dictum fuit, quod resultaret canonizationis continuationis status praesens, quamvis de illo nunquam disputationum, neque aetum esset, ut in sua sede advertitur, tit. de praeminent. disc. 3. & sequ. & in decisionibus in ea causa editis ibidem relatis presertim decis. 349. par. 12. rec. Unde propterea decisiones in eo casu edita, magnum fomentum esse poterunt in futurum huiusmodi comprehensionis, vel implicitæ pronunciationis; Verum pro meo iudicio male, quoties consequentia non sit necessaria, sed potius intret compatibilitas, ut bene declarando Rovit. ubi supra Casar. de Affili. contr. 50. & in addit.

Super præjudicitalitate quoque cadere solent quæstiones circa sententiam, an scilicet lata cum uno, præjudicet alteri, Puta successori independenti in beneficio, vel in feudo, sive in fideicomisso &c. Sive in causa status, an scilicet, & quando lata cum uno faciat statum cum altero; Sed pariter id non congruit huic Rubrica, cum percutiat effectus, qui ex ea proveniunt ut supra, & de quibus in suis respectivè ledibus agitur.

Et de sententia ultioris instantie, quomodo proferri debeat, ubi praesertim sit contra alteram sententiam, sive ubi auctorum transportatio facta non sit, cum similibus, habetur infra in duabus disc. sequentibus; Ubi etiam quando dicatur lata prout in prima instantia ex integrum, vel potius in secunda, & de aliis pertinentibus ad Judicem appellationis.

Denum super plurimum sententiarum conformitate, frequenter disputari solet, tam in terminis generalibus juris communis, prohibentis tertio provocare, unde propterea tres conformes liti finem imponunt, quoties nullitas non prospicit, vel beneficium restitutionis in integrum, ut infra disc. 38. agendo de nullitatibus, & de restitutione in integrum habetur.

Magis vero de hoc disputari solet, stantibus aliquibus Statutis, que in plerisque Italiae Civitatibus habentur, istum numerum abbreviantibus, ut propterea duæ conformes habeant vim trium; Et sic quod non licet, nisi semel appellare; Ut praesertim vigeat in Urbe, ubi habetur hoc Statutum de duabus conformibus habentibus vim trium; Ac etiam vigeat in plerisque aliis locis Status Ecclesiastici, de materia huiusmodi Statutorum de duabus conformibus, & praesertim Urbis Fenzon. ad statut. 180. Cels. dec. 264. Buratt. dec. 197. 253. & 167. Danozett. dec. 180. & generaliter Rubeus tom 3. singular. ad dict. statut. Rovit. pragm. 5. & 6. de off. S. R. Consil.

Illiud vero Urbis, ob eius amplitudinem dicitur generale, inter omnes cives, & incolas Urbis, & distinguitur ut etiam clerici, alioquin personæ ecclesiastice, & Ecclesie sub eo comprehendantur, atque in omnibus Tribunalibus servetur; Non tamen cum forensibus, apud allegatos. Questione cadente quid dicendum sit in illis causis, que occasione appellationis ad Curiam Papæ à sententia Ordinariorum, in ea

in ea peracte sint; Sive in iis, quæ in prima instantia ob apprehensionem in Curia, sive ratione rei sita, vel ex consensu Partium, aut alias agantur, quoties persona non sit cives, vel incolæ aut distractuæ, atque probabiliter videatur negativa cum requiratur qualitas cívica, vel domiciliaria hincinde, adeo ut non sufficiat, quod hæres, vel successor sit cívus, vel incola, si principalis erat externus, Millin. dec. 25. dec. 324. p. 10. rec. Rubeus ubi supra.

Ad effectum autem conformitatis; Generaliter, tam de Jure communis, quam statutario, ista desideranda non est in cortice, seu in figura verborum, sed sufficit in substantia veritatis; Unde propterea secunda sententia, quæ mandet exequi primam, seu quod alias virtualiter, & implicitè id continet, dicitur conformis, atque facit numerum, quamvis expressè id non dicatur; Præterquam ubi secunda lata esset in diverso judicio, seu in diversa actione, aut exprimeret causam omnino novam & diversam, quamvis quoad condemnationem, vel effectum, conformis esset, cum super illa nova causa, vel actione, revera dicatur prima, non autem secunda, apud supra allegatos. Et in summa vis est in ratione, sive in fine, vel effectu, ut ubi binum aditum conforme judicium super eodem, aliud exquirere non oporteat.

Bene verum, quod in causis præsertim gravibus, defactis, in casu huiusmodi Statutorum de duabus, numerus trium verificatur, atque in casu trium ad terminos juris communis solent esse quatuor, stante frequentiori stylo Signaturæ rescribendi de clausula *confito quod sit locus statuto*, sive *confito de duabus vel tribus*, dum ita in effectu, occasione disputandi super verificatione istius clausulae *confito*, alia formalis habetur instantia, in qua, pro Curia styllo, & præsertim Rotæ, admittuntur nova jura, & quandoque etiam novæ probationes pro causarum qualitate, juxta ea que in præcedentibus insinuata sunt, ideoque disputatur de meritis, perinde ac si causa esset nova, & integra.

Si autem conformitas sit in parte; Et tunc in ea parte attenduntur; Sive si secunda sententia novam adiicit causam, ut supra, quæ percutiat unum partem, & non alteram; Et tunc pariter idem dicendum, & sic generaliter in similibus, spectato, ut dictum est, fine seu effectu, vel attenta ratione, cui hac prohibitiō innixa est, adeo ut immorandum non sit in formalitate verborum, sed in substantia rei & veritatis.

Eadem conformitatem non tollunt contraria instantie intermediae, cum detur earum conjunctio, huiusmodi mediis non obstantibus, Franch. decif. 135. Rot. dicta pragm. 5. & 61. de offic. S. R. Conf. ista quoque opinio in praxi est magis recepta in Curia.

Quando autem conformitas revera adesse dicatur, necne; Certa, & generalis regula cuicunque casui applicabilis statui non potest, cum revera dicenda veniat quæstio potius facti, quam juris, decidenda ex facti qualitate, & ex singulorum casuum circumstantiis.

Prout facti potius, quam juris est altera quæstio, de qua in hoc proposito agi solet, quando scilicet quis dicatur cívus, vel incola, ad effectum comprehensionis sub huiusmodi Statuto, sive an superveniens diversa qualitas hæredis imminuet causa natum seu qualitatem, circa subjectionem, vel exemptionem respectivè cum similibus,

Verum, ut pluries alibi advertitur, tam huiusmodi Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

di Statuta, quam præfata dispositio Juris communis, circa hoc privilegium duarum, vel trium conformium, sive privilegium rei judicata ob non interpositam appellationem, vel ob eius desertionem, in Curia quodammodo ceremonialia videntur, quoziam ex recepta propositione, quod ea quæ disposita sunt de duabus, vel tribus conformibus, vel de re judicata, intelligenda sunt de validis & justis, quodque ad hunc effectum necessaria non est iustitia notoria, sed sufficit simplex, cum notoria desideretur pro extraordinario remedio professorio manutentionis, non autem pro illo restitutio in integrum, ut infra in eius Rubrica quoque advertitur; Hinc manat, ut etiam post tres conformes, vel post rem judicatam, jam diu servatum, in disputationibus super restitutio in integrum, concedenda, vel deneganda, agatur de meritis per apices juris, perinde ac si causa esset nova, & integra, ut infra agendo de restitutio in integrum advertitur, infra disc. 38.

De appellatione, an & quando intret, & ad quos effectus; Et de eius interpositione, vel prosecutio, nec non de transportatione actorum; Et de aliis concernentibus Iudicem, & judicium secundæ instantiæ.

#### SVMMARIVM.

- 1 DE questionibus, vel inspectionibus, quæ cadunt in materia.
- 2 Regulariter licitum est appellare in omni causa non limitata.
- 3 De duplice specie limitationis, vel prohibitionis, & de effectibus.
- 4 Appellatio non datur ab interloquitoria, & interposta non retardat processum.
- 5 Fallit accidente inhibitione, & si decretum gravat, devolvitur tota causa principali.
- 6 Non datur appellatio à sententiis, vel decretis provincialibus.
- 7 Quando, & quomodo debeant concedi inhibitiones, & de regulis quas tenere debent Metropolitani, aliq. Indices appellationis.
- 8 De causis in quibus appellatio renicit in totum etiam ad devolutivum.
- 9 De illis in quibus datur appellatio ad devolutivum sed non ad suspensivum remissivæ.
- 10 Appellatio coram quo facienda sit, vel fieri posset.
- 11 Per quas personas interponi possit appellatio.
- 12 Quomodo debitum constare de mandato procuræ.
- 13 Quid procurator non appellando, seu alias omittendo, praividet principali, non autem committendo, sed datur restitutio in integrum.
- 14 Quomodo interponi debet appellatio, an præcisè in scriptis, & quomodo soleat interponi.
- 15 De termino intra quem appellatio interponi debet.
- 16 Quando incipiat currere iste terminus, & de causa quod labatur ante sententie prolationem.
- 17 An contumax appetat, & quem terminum habeat ad appellandum.